

Neque vero dubitamus, quin carissimus quoque in Christo filius noster rex christianissimus, postquam susceptum a vobis consilium non solum probavit, sed etiam, ut supra innuimus, suis ad Nos datis literis fovere et adjuvare non recusavit, pro sua perspecta in Deum et Ecclesiam religione ac pietate validam fraternitatibus vestris opem praebere studeat, quo tam vobis quam inferioribus Ecclesiae ministris liberum et integrum sit, ad superius descriptam agendi normam sacrorum mysteriorum administrationem moderari. Qua quidem fiducia Nos hic sermonem minime habendum existimavimus de reliquis fratrum vestrorum articulis respicientibus episcopalia jura circa eorumdem sacramentorum participationem concedendam vel denegandam et varias super hac re obortas controversias, sed potius cum ipso christianissimo rege per alias literas nostras agendum duximus, ut is sacra episcopatus jura sua animi magnitudine ac praestanti virtute tueatur. Quod ipsum et proprio et majorum suorum more facturum certo confidimus, ut nobilissimae Galliarum Ecclesiae, illius regio favore nostris vestrisque studiis obsecundante, suum pristinum decorem retinuisse et perturbatam ad tempus tranquillitatem cito recuperasse laentur. In cujus optatissimi eventus auspiciis fraternitatibus vestris cunctisque populis pastoralis curae vestrae concreditis apostolicam benedictionem peramanter impartitur.

Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem die 16. Octobris 1756 Pontificatus nostri anno decimo septimo.

Doceant in Ecclesiis seu Oratoriis privatis ex dispensatione seu privilegio Pontificis de manu Sacerdotis sumendam ss. Eucharistiam nec eam ullo modo deferendam in crumena aut

secreto ad existentes domi vel cubantes in lecto quam ad infirmos, qui ad illam suscipiendam ad loca praedicta accedere non valeant, et ad eos, si ab Ecclesia deferatur, publice et cum pompa juxta formam Ritualis romani, si vero ab Oratorio privilegiato, cum pompa decenti. S. C. C. 12 Februarii 1679.

Non licet ss. Eucharistiam ad aegrotos deferre, qui morbi gravitate impediti sumere eam non possunt sed venerationis gratia solent eam deoculari. Et si forte aliquo in loco talis est consuetudo, ea prorsus est tollenda, quod Pius V. prohibuit. *Cong. C. ap. Bened. XIV. Annot. tom. 2. p. 4. sect. 2. n. 367.* Aegrotis morbi proximis, cujuscunque sint conditionis, quamvis in sordido ac vili degant loco aut tugurio, s. Eucharistiae viaticum deferatur, cum apud Deum nulla sit acceptio personarum ac pro nostra salute nec stabulum nec crucis ignominiam exhorruerit. *Alex. VII. Const. : cri Apostolatus 18. Junii 1658; Clem. IX. Const. : In Ecclesia 13. 13. Septembris 1669.*

Vd.: *Communio* (frequens); *Missae* (Celebrans sedere non debet; *Epist. PP. Bened. XIV. n. XVIII.*); *SS. Viaticum* (modus portandi, *Constit. Bened. XIV.*); *SS. Sacram. Euch.* (communio domest.; particulae); *Indulg. infirmorum. habitual.*

#### 19) Quoties portandum?

Juxta Rituale romanum Pauli V. *tit. de Commun. Infirm.* non potest Viaticum ministrari de novo, nisi infirmus per aliquot dies supervivat.

*Questionis propterea est, quot dies debeant intercedere? Sunt, qui tenent sufficere, quod intercedant duo dies, ea adducta ratione, quod numerus pluralis contentus est „duobus.“ At*

dictionem aliquot importare majorem numerum dierum et saltem quatuor, tenet *Romaquer ad Synod. Gerund. lib. 3. tit. 27. cap. 28. num. 38.*

### VICARIUS.

#### 1) Apostolicus.

##### a) Celebrans.

Non potest habere Vicar. apost. duos Clericos cum cottis, quando celebrat, ut ipsi inserviant, etiamsi sit Protonotarius apostolicus: et nec quatuor candelas accensas in altari tenere, nisi hoc fieret propter ibi festivitatem currentem: S. Rit. Congr. 7. Augusti 1627.

Neque potest facere functiones episcopales absente veli impedito Episcopo, sed hoc spectare ad primam dignitatem et successive ad alios seniores de capitulo declaravit S. Rit. Congr. in Brundus. 5. Febr. 1614, in Alatrina 22. Jan. 1618, in Algaren. et in alia Brundus. 20. Dec. 1625.

Neque potest Missas solennes cantare, SS. Sacramentum aut sacras reliquias paratus deferre nec aliis functionibus ecclesiasticis se immiscere sed tantum praeesse, ut omnia suo ordine recte fiant: S. Congr. Episcop. in Sassaren. 14. Aprilis 1593, in Bisinianen. 16. Maii 1600, in Spoletana 22. Dec. 1611, in Ortonen. 19. Septembris 1627.

*Ad dub.:* An teneantur Canonici Cathedralis Juvenacen. excipere et associare ad portam Ecclesiae Vicarium apost. eidemque ministrare aspersionum et textum osculandum expleto Evangelii cantu, necne thurificari triplici ductu et debeat assistentia Caeremoniarum Magistri? S. C. resp.: Quoad thurificationem servandam esse ejusdem Ecclesiae consuetudinem. In reliquis vero Vicario quamvis aposto-

lico praerogativas praedictas minime competere. n. 1909 die 13. Jul. 1658.

Vicario ap. Spoleti in omnibus Ecclesiis et ecclesiasticis functionibus deberi tantum illas praerogativas, quibus gaudent Vicarii gen. Episcopi; titulum vero „Illmi“ dicto Vicario ap. non deberi, necnon praeceptum Notariis factum abolendum et poenas comminatas non afficere. n. 3062 die 12. Aug. 1684. Item decretum emanatum est pro Vicario ap. Immolens. civitatis sub n. 3063 ad 1—4 die 12. Aug. 1684.

##### b) Incensatio, Pax, Liber osculandus.

Vd. supra lit. a.

Non potest praetendere Vicarius apost., ut sibi detur incensum inter Missarum solemnias, nempe in principio Missae, post Evangelium et in offertorio, sed semel tantum dari debet in offertorio et non amplius. Et tunc si Episcopus est praesens, bis ducto thuribulo, si absens, ter ducto: S. Congr. Episc. in Cajetana 14. Januarii 1595.

Neque potest praetendere, ut sibi deferatur osculandus liber Evangelii, nisi sit Episcopus, quia hoc est privilegium solis Episcopis concessum: S. Congr. Episc. 28. Augusti 1589.

##### c) Praecedentia et Praerogativa.

Vicarius Apostolicus debet habere in Choro, si non sit Canonicus, praecedentiam supra omnes et ideo sedere debet in digniori sede, non tamen in solio episcopali: S. Congr. Episc. in Cajetana 22. Januarii 1596. Quod si dignior sedes Chori esset occupata, tunc Dignitates et Canonici descendere debent inferius uno gradu relinquendo

majorem ipsi Vicario. S. Congr. Episc. in Licien. 14. Aug. 1590.

Vicario apostolico in omnibus Ecclesiis et ecclesiasticis functionibus debentur tantum illae praerogativae, quibus gaudent Vicarii generales Episcopi et titulus Illustrissimi Vicario apostolico non debetur. S. Rit. Congr. in Spoletana 12. Augusti 1684 et in Imolen. eod. die et anno.

#### d) Residentia.

Vicarius apostolicus tenetur residere in dioecesi, ad quam regendam missus fuit, nec potest ab ea ad longum tempus discedere et alium substituere absque praevia licentia sacrae Congregationis Episc. ut ead. s. Congr. declaravit in Spoletana 19. Jun. 1607.

Quod habet locum, etiamsi sit vocatus ab aliquo Principe, nam neque tunc potest: S. Congr. Episcop. in Messanen 27. Maii 1608. Neque potest absque dicta licentia discedere, etiamsi sit accessurus ad Urbem: S. Congr. Episc. in Reatina 22. Decembris 1600.

#### e) Titulus.

Vd. supra lit.: a. decr. n. 3062.; lit. c.

#### f) Visitat. Eccles.

Vicarius apostolicus potest visitare dioecesim, et si cum ipso visitet etiam Episcopus, non potest Episcopus se ingerere in visitatione, sed solum in exercitio Pontificalium, si non sit ei interdictum: nec possunt Episcopus et Vicarius apostolicus simul ducere secum plus quam quinque personas, ut, ne Clerus eo casu duplicibus expensis gravetur, statuit S. Congr. Episcop. in una Cajacen. 20. Aprilis 1661, in Consentinen. 19. Novembris 1652 et in Bisinianen. 23. Augusti 1652.

## 2) Capitularis.

### a) Associatio in Visitatione.

#### Abellinen.

Certum exploratumque quum sit in unaquaque Dioecesi, elapso anno a die novissimae Visitationis peractae ab ult. Episc. defuncto, posse Vic. Capitularem legitime electum hanc ipsam Visitationem per Dioecesim instituere, Sede adhuc vacante, non abs re ab aliquibus dubitatum est quo modo et ritu sit a Clero excipiendus hac in actione quaeque ab eodem Clero obsequia illi sint prasstanda; oportet enim ut minora sint illis, quae Episcopo exhibentur. Propterea attento Liturgicorum hoc in proposito silentio volensque omnia ordinate instituere Rmus Vic. Cap. Abellinen. S. R. C. sequentia dubia enodanda proposuit nimirum:

1) Quo ritu excipiendus sit Vicarius ad varias uniuscujusque Eccl. Dioecesis?

2) An omnes de Clero et etiam Canonici de Capitulo accedere debeant ad praestandam obedientiam?

Et in ordinariis Comitibus ad Vaticanas Aedes coadunatis die 16. mense Apr. anno 1842 S. eadem C., audita relatione a me subscripto Secretario facta, rescribendum censuit: *Exquiratur Votum Magistri Caeremoniarum.* Quo elaborato praeloque cuso iterum propositis recensitis Dubiis ab Emo et Rmo D. Card. Carolo Acton Relatore in altero ordinario S. R. Conventu ad Quirinales Aedes subscripta die coadunato, Emi et Rmi P. S. Ritibus praepositi, omnibus accurate libratil riteque consideratis rescribendum censuere: „Dilata et ad Mentem. Mens est ut Emus Card. Praefectus cum SSmo agat de necessitate supplendi hae in re defectui Caeremonialis.“ Atque ita rescripsit. Die 16. Sept. 1843.

Super omnibus facta postmodum Sanctissimo Domino Nostro Gregorio Papa XVI. P. M. per Em. et Referendissim. Dominum Cardinalem Carolum Mariam Pedicini Ep. Portuen., S. R. E. Vice-Cancellarium, S. R. C. Praefectum, fidei relatione, S. S. benigne annuit et praedicto defectui supplendum esse mandavit juxta modum a Magistro Caerem. in suo Voto praepositum, videlicet: „Vic. Cap. procedat ad Eccl. Cath. veste talari indutus, ubi intra portam recipietur ab universo Capitulo. Quum eo pervenerit, assumet Superpelliceum vel alia insignia canonicalia, si sit Canonicus, eidemque Biretum presbyterale manu tenenti dignior ex Capitulo stans aspersorium per contactum exhibebit. Praecedente Cruce capitulari caeterisque de clero recta statim inter duos Digniores ex Capitulo perget ad Saccellum, ubi SSmum Sacramentum asservatur, atque paratis super genuflexorio pulvinaribus una cum praedictis Dignioribus in genua provolutus orabit. Assurgens inde principem petit Aram et brevi Oratione super infimo gradu peracta sedebit in camerale sede ante latus Epistolae super Altaris suppedaneum praeparata, caeterisque in propriis subselliis considentibus, et caput bireto cooperiens tradet, si moris est, Cancellario Visitationis Edictum legendum et deinde proponet causas adventus sui, ut habetur in Pont. Rom. (*Ordo ad visitandas Parochias.*) His absolutis ab altari descendet et in plano extra latus Epistolae stans supra Superpelliceum vel Rocchetum, si eo utatur, Amictum, Stolum et Pluviale nigrum induat eique duo Sacerdotes assistent. Interim sedes ab Altari amovebitur, cuius frons pallio itidem nigro obtegetur. Visitator autem adhuc stans juxta Altare in cornu epistolae versus ad populum incipit Antiphonam: Si

*iniquitates.* Caetera peragantur ut in Pont. Rom. loc. cit.“

Quam methodum S. S. firmitate sua communivit.

Die 8. mense Nov. eodem Anno 1843. n. 4973.

### b) Benedictiones.

Vd.: *Bened. param.; Param.; Suppellect.; Utensil. s.*

#### Vencien. in Gallia.

Vicarius capitularis sede vacante petit indultum benedicendi ecclesiasticam suppellectilem. Et s. Congregatio annuit durante sede vacante et pro iis rebus tantum, in quibus sacra unctio non adhibetur. Die 10. Maii 1642.

(Anal. J. P. 1863 p. 282.)

### c) Celebrans.

Decretum alias factum supra praedictis functionibus contra Vicarium Ordinarium, comprehendere et afficere etiam Vicarium capitularem et dictas functiones episcopales spectare ad primam Dignitatem. n. 702 die 7. Aug. 1627; n. 736 die 27. Mart. 1628.

Cf.: *Vicar. general.; Dignitas; Applicatio Vicarii capit., Bened.* (delegatio).

### d) Concedit privil. Altaris.

Vd.: *Indulg. alt.* (Eccles. par. etc.)

### e) Distributiones.

Vd.: *Vicar. cap.* (praeced.)

*Ad dub.: An Vicarius Capitularis lucretur distributiones quotidianas, si Choro propter suum munus non insit? Variant Doctores. Affirmativam enim sententiam defendunt Pellegrinus in praxi vicar. p. 1. sect. 4. subs. 2.*

num. 21., *Garcias, Gonzalez, Pavin, Covarruv.* et alii ab ipso citati dicentes, non currere paritatem de Vicario Episcopi, qui ideo ipse non interessendo choro non lucratur distributiones, quia servit Episcopo et non Ecclesiae, ut servit Vicarius Capitularis sicut notat Rota dec. 222. num. 5. p. 2. diversar. *Negativam* autem sustinent *Monacell.* tom. 3. tit. 1. formul. 41. num. 5., *Moneta* de distributionibus part. 2. q. 11. num. 83. et seq., *Barbosa* de Offic. et potest. Episcop. part. 3. alleg. 54. num. 165. vers.: Qui dum a Choro absens est et de Canonicis et dignitatibus cap. 42. n. 39. et alii plures. Ut autem concilientur Doctores dicendum est, standum esse legitimis locorum consuetudinibus ut ibi Vicarius Capitularis absens a choro lucretur distributiones, ubi adest legitima consuetudo eas lucrandi, arg. cit. cap.: Cum tanto 11. de consuetudine; et sic tenent *Rota* cit. decis. 222. num. 6. part. 2. divers., *Barbosa* loco cit., *Quaranta* in Summa Bullar. verb.: Capitulum Sede vacante, vers.: Octavo dubitatur; *Prosper August.* in addit ad d. Quarant. num. 8. in fine, *Rebuff.* titul. de Vicario Episcop. num. 5. et ipse *Pellegrinus* loco citat. num. 31. in fine, cum aliis ibi allegatis.

f) **Facultas reducendi vel suspendendi missas.**

*Ad dub.:* An et quomodo Vicario generali, absente Episcopo et Vicario capitulari, eo defuncto, sit concedenda facultas reducendi vel suspendendi Missas?

S. C. resp.: Juxta votum emin. Relatoris.

Die 16. Augusti 1794. *Ecclesien.* ad VIII.

g) **Habitus.**

Non licet Vicario capitulari Metropol. Tarentinae interesse choro et aliis functionibus capitularibus. n. 3905. ad 3. 23. Mart. 1709. Idem Vicarius cap. interesse non potest concionibus cum canonicis collegialiter et habitu canonicali consedentibus interesse cum symmate, vulgo zimarra.

*Ibid.* ad 5.

h) **Indulgentias non concedit.**

Vicarius capitularis non potest concedere Indulgentias. *Card. Petra* tom. 3. commentar. ad constitut. 16. Alexandri IV. n. 26. ubi dicit, quod in hanc sententiam videtur fuisse Sac. Congr. sub die 13. Nov. 1688., ibi: Dubium indulgentiarum. Quaeritur: An Vicarius capitularis sede episcopali vacante facultatem habeat concedendi Indulgentias, quas ceteroquin concedere potest Episcopus vivens? Sacra Cong. respondit: Vicarius se absteineat. Et sic tenent *Archidiaconus* in cap. 1. de *Poenit. et remissionibus in 6.*, *Cardinal.* in cap. *Accedentibus* 12. de excessibus Praelator; *Fagnan.* ibid. n. 17., *Sotus* in 4. dist. 21. qu. 1. art. 4., *Lavorius* de indulgentiis part. 2. cap. 11. n. 52; *Pax Jordan.* tom. 1. lib. 5. tit. 16. n. 27., *Bonacina* tom. 1. disp. 6. de Indulgent. q. 1. punct. 3. n. 23., *Monacell.* tom. n. 64. ubi dicit, quod posset Vicarius Capituli accusari tempore Sedis vacantis ipsum concessisse Indulgentias, quas Episcopus vivens concedere consuevit; nam talem potestatem Vicarium Sedis vacantis non habere constat ex declaratione Sac. Cong. Conc. 13. Nov. 1688, quae dubio proposito respondit: Absteineat; *Barbosa* part. 3. de Offic. et potest. Episcopi allegat. 88. n. 21. cum *Navarr.*, *Selu.*, *Cordub.*, *Le-desma*, *Torreblanca*, *Henriq.*, *Suarez*,

*Reginald.*, *Sanctarell.*, *Rhedo* et aliis, contra *Silvestrum*, *Lazarium*, *Zerolam Aloysium Riccium*, *Azorium* et alios et etiam contra ipsum *Barbosam* lib. 1. Juris ecclesiastic. cap. 32. n. 91. et tractat. de Canonicis et Dignitatibus cap. 42. n. 91. Et ratio nostra est, quia, licet concedere Indulgentias sit actus Jurisdictionis, est tamen actus reservatus dignitati episcopali, cum sit de majoribus; cap. *Accedentibus* 12. de excessibus Praelatorum; ubi *Fagnan.* n. 17. cum pluribus ibi citatis, adeo ut etiam Auctores contrarii fateantur tutius esse, quod Capitulum seu Vicarius committat alicui Episcopo ut indulgentias concedat nomine ipsius Capituli.

i) **Licentiam Pontificalia exerc. et ordinandi concedit.**

Potest Vicarius capitularis etiam ante lapsum anni concedere licentiam extero Episcopo exercendi Pontificalia in Ecclesiis Dioecesis et Ordines conferendi Clericis exteris habentibus Literas suorum Episcoporum, non tamen clericis subditis vacantis sedis. Sac. Congregatio in Brixien. 16. Maii 1705, *Barbosa* de Canonicis et Dignitat. c. 42. n. 124, *Quaranta* in Summa Bullar. verb.: Capitulum Sede vacante p. 11., *Navarr. consil.* 27. de tempor. Ordinat., *Molfesius* in Summa tract 2. n. 28., *Piasec.* part. 1. c. n. 13. pag. 39., *Marcus Anton. Genuens.* in praxi Archiep. Neapolitan. c. 87 n. 33., *Marcian.* part. 6. c. 3. n. 16., *Fornar.* de Ordine c. 5. n. 8. vers.: Quarto nota; et alii.

Potest Vicarius ante lapsum anni obtinenti facultatem a Sede Apostolica de suscipiendo Ordines cum licentia sui Ordinarii hanc licentiam subordinatam concedere. *Navarr. consil.* 20. de temporibus Ordinat.; *Piasec.* loc.

cit., *Barbosa* loc. cit. num. 123. et alii.

Potest Vicarius capitularis dare licentiam Episcopo externo confirmandi, Ecclesias consecrandi, reconciliandi et alia ad usum Pontificalium spectantia exercendi in sua Jurisdictione. Sac. Congregat. Episcop. in *Nepesina* 15. Dec. 1603.

Et ipsemet Vicarius potest Ecclesiam non consecratam reconciliare. Sac. Cong. Rit. in *Hidrunina* 15. Dec. 1632. apud *Bonfadin.* in Thesaur. Eccles. de resolut. 51. num. 23 et *Barbos.* in Summ. Collectan. 712. n. 4.

Non posse Vicarium Capitularem infra annum dictae vacationis concedere licentiam Episcopo externo commoranti in Dioecesi, ut ordinet Regulares etiam praevio examine per ipsum Vicarium facto tenent *Barbosa* supra Concil. cit. sess. 7. cap. 10. n. 3. et tractat. de Canonicis et Dignitatibus cap. 42. n. 121. et lib. 1. Juris eccl. cap. 32. n. 121., *Raguc.* de voce canon. part. 39. n. 4. At rectius contrarium docent *Novarr.* consil. 27. de temporibus Ordinat., *Quaranta* in Summa Bull. verb.: Capitulum sede vacante q. 11., *Genuens.* in praxi Archiepiscop. Neapolitan. c. 87. num. 33., *Piasec.* in praxi Episcoporum. part. 1. cap. 1. num. 13.

k) **Nominari non debet in Missa.**

Vicarius capitularis loco defuncti Episcopi in Missa nominari non debet. *Benedict. XIV.* Constitut. incip.: *Ex quo primum* §. 20.

l) **Praecedentia, Sedes.**

Cf.: *Canonici* (praecedentia); *Processio* (canonici parati.)

Praecedentiam sede vacante deberi Vicario capitulari post digniorem de

Capitulo. n. 1013 ad 5. die 9. Dec. 1634.

Vicario capitulari locum competere tam in choro quam in processionibus a sinistris primae Dignitatis vel, prima Dignitate deferente SS. Sacramentum, a sinistris primi et dignioris Canonici repraesentantis Capitulum, n. 1877 die 16. Mart. 1658.

Vacante sede episcopali Vicarium capitularem in choro, sessionibus caeterisque ecclesiasticis functionibus digniorem locum dimittere debere primae Dignitati Capitulum repraesentanti. n. 1957 die 15. Febr. 1659., n. 3010 die 23. Jan. 1683.

Vicarius capit. Metropol. Tarentinae conciones audiens inter missarum solemnia non potest praecedere Canonico celebranti s. vestibus induto; item non potest, incedens in processionibus cum vestibus nigris, incedere post Canonicum celebrantem; incedens vero cum vestibus suae dignitatis occupare debet proprium locum in processionibus, sed non incedat post Canonicum celebrantem prout Episcopus. n. 3805 6—8 die 23. Mart. 1709.

#### Balneoregien.

Archidiaconus Balneoregien. supplicavit responderi: An Vicarius capit. sede vacante, qui sit de gremio capituli, possit in choro et processionibus cum habitu canonicali praecedentiam praetendere supra antiquiores de capitulo et lucrari distributiones?

S. C. resp.: Negative juxta alia resoluta.

Die 11. Aug. 1635.

(Anal. J. P. 1863. p. 262.)

Si Vicarius capitularis, ubi adest consuetudo interessendi choro pro lucrandis distributionibus, voluerit ipsas lucrari,

debet interesse cum solita veste canonicali et sedere in loco proprio sui canonicatus, neminem antiquiorem praecedendo. *Rota* in Lucerna Beneficii 18. Dec. 1579 coram Seraphino et eadem *Rota* decis. 288. num. 2. part. 2. recent. apud *Barbos.* de off. et potest. Ep. p. 3. alleg. 54. num. 166. et *Pellegrin.* in praxi Vicar. p. 1. sect. 4. subs. 2. n. 35. et sic tenent cum ipsis plures alii Doctores.

Si vero voluerit distributiones lucrari, debet praecedere omnes, excepta prima Dignitate post pontificalem; sic rescriptum fuisse a Sacra Congregatione in una Assisiensi de mense Augusti 1630, dum ipse esset Assisii, testantur *Nicolius* in *Floscul.* verb: Vicarius capitularis num. 67. et refert etiam *Pellegrin.* loc. cit. num. 34. et alii.

Vicarius Capitularis non potest occupare sedem Archidiaconi in Ecclesia, sed sedere debet in alia sede portatili: Sacr. Congr. Rit. in Nucerna 10. Apr. 1601. apud *Pellegrin.* loco cit. num. 34. et *Barbosa* de Canonice et Dignitatibus, cap. 42. num. 42.

Archidiaconus seu alia Dignitas major post pontificalem praefertur Vicario capitulari, etiamsi dictus Vicarius non sit Canonicus, *Barbos.* cit. cap. 42. num. 41. et cit. alleg. 54. num. 167 cum aliis ibi citatis.

#### m) Synodum convocat.

Potest Vicar. cap. dioecesanam Synodum congregare elapso anno ab altera Synodo ultimo celebrata. Sic decisum fuisse a sacra Cong. Conc. referunt *Garcias* de Benefic. part. 3. cap. 2. n. 8., *Card. Petra* tom. 5. comment. ad constitut. 4. Calisti III. sect. 2. n. 113. et alii plures.

Et eo tempore, quo Synodum celebrat, potest eligere examinatores synodales, extra vero illam non potest, sed uti debet electis antea. Sac. Congreg. Episcop. in Neapolitana 12. Jan. 1604.

#### n) Visitatio Dioecesis.

Vd.: *Visit. Vicarii capit.*

#### 3) Curatus.

(Praeced.)

Praecedentiam deberi Vicario-Curato perpetuo supra amovibilem. n. 1441 ad 3 die 14. Mart. 1643.

Vd.: *Paroch.* (praeced.), *Process.* (Clerus saec. — Clerus colleg. supra parochos:)

#### 4. Foraneus.

##### a) Benedictio Supellectil.

Vd.: *Supellectil.* (bened. decr. 14. Novbr. 1615.)

##### b) Denominatio.

Vicarius foraneus dicitur ille, qui in certa parte Dioecesis extra civitatem Sedis episcopalis vel in Oppidis per Episcopum constituitur, ut ibi jurisdictionem quamdam exerceat; cap.: *Romana* 1. de Officio Ordinarii in 6. et ibi Glossa verb.: *Foraneus*, et alia Glossa in Clement.: *Et si principalis* 2. de rescriptis verb.: *Foraneo*. Et dicitur Foraneus, quia foris seu extra locum, in quo Sedes episcopalis reperitur, Episcopi vices agit juxta traditam sibi potestatem: *Glossa* in cit. cap.: *Romana* 1. de Officio ordinarii in 6. verb.: *Foraneus*, et alia Glossa in cit. Clement.: *Et si principalis* 2. de rescriptis in casu verb.: *Nota*.

Vicarii foranei dicuntur illi, qui in certa parte Dioecesis extra Civitatem Sedis episcopalis vel in Oppidis per

Episcopum constituuntur, ut ibi jurisdictionem quamdam exerceant; cap.: *Romana* 1. de Offic. Ordinarii in 6. Et ab ipsis appellari potest ad Episcopum: *Bened. XIV. de Syn.* D. lib. 3. n. 5. Antiquissimi sunt et origo eorum ad Chorepiscopos est referenda. *Idem ibidem* n. 6. Chorepiscopis enim suffecti sunt Archipresbyteri, Archidiaconi et Decani rurales. *Idem ibid.* n. 7. Vicarii Foranei in Italia etiam ante s. Carolum Borromeum esse coeperunt, ut in aliis locis. *Idem ibidem* n. 8. contra aliquos aliter sentientes; sed minorem in Italia obtinent jurisdictionem. *Idem ibidem* n. 9. Si Parochi sint, Synodo dioecesanae intervenire debent, si non sint, tenentur, si Episcopus eos vocet idque expediat, quoniam ab istis tamquam oculatis testibus melius quam a Vicario generali certior fieri poterit de iis, quae in remotis Dioecesis partibus occurrunt et aliquam fortasse sanctionem exposcunt. *Idem ibidem* n. 10.

##### c) Incensatio.

Nulla modo licere Vicario foraneo habere thus triplici ductu. n. 2481 die 8. Junii 1669.

Vicario foraneo ratione sui Officii non debere ante alios thuris et pacis honorem. n. 2659 die 11. Nov. 1673

Cf.: *Incensatio*; *Vicar. for.* (praeced.)

##### d) Munus.

Vd.: *Vicar. foran.* (denominatio.)

Officium Vicarii for. est inquire de vita et moribus Clericorum, an Parochi et Presbyteri sui Vicariatus habeant libros, quos habere debent, an observent Decreta synodalia, an eorum incuria divinus Cultus aliquid detrimenti patiatur? et de his omnibus ad Episcopum relationem facere. *Conc. Mediolanen.* 1. p. 2. tit. de Vicar. for.

Tenentur significare Episcopo Curatos non residentes in sua regione. *Concil. Mediolanen.* 1. p. 2. tit. de Residentia.

Vicariis for. obedire debent omnes Curati et alii Clerici, cujuscumque dignitatis sunt, alias per Episcopum puniri possunt.

*Conc. Mediol.* 1. p. 2. tit. de Vicar. for.

### e) Praecedentia.

Vd.: *Dominica* (licentia laborandi.)

Vicarius foraneus sedeat primus in illis, quas ipse facit, congregationibus. Die 20. Dec. 1603.

Vicariis foraneis in choro, sessionibus, processionibus et aliis similibus ecclesiasticis functionibus nullam praeeminentiam seu praecedentiam super alios antiquiores seu digniores ipsius loci presbyteros, Dignitates seu Canonicos competere. N. 255 die 16. Oct. 1604. Decretum hoc confirmatum fuit die 15. Februarii 1614., n. 260 die 29. Jan. 1605; n. 861 die 8. Jun. 1630, n. 2953 die 7. Jun. 1681; n. 3123 die 31. Aug. 1686.

Sed eum stare et sedere debere in loco suae receptionis, si sit de gremio Capituli, n. 1985 die 24. Maii 1659; n. 2481 die 8. Jun. 1669; n. 2601 die 3. Sept. 1672.; n. 2659 die 11. Nov. 1673 cum append.: „non obstante quacumque ordinatione Episcopi, nec cum nec sine cotta, nec in choro nec in processionibus et debet in choro uti cotta sicut alii presbyteri...“

Decreta de Vicariis foraneis intelligenda esse indistincte, tam quando Vicarius est cum, quam quando est sine cotta, tam in choro quam in processionibus, quibus in locis Vicarius foran. debet tamquam unus ex Pres-

byteris seu Canonicis Ecclesiae in loco sibi convenienti juxta provisionem seu ordinem suum sedere, stare et incedere cum cotta, prout alii Canonici seu Presbyteri, alias non lucrabitur distributiones quotidianas; neque Vicarius debet thuris honorem et pacis osculum recipere ante Dignitates, Canonicos seu presbyteros ipso digniores. n. 279 die 24. Sept. 1605.

Vicario foraneo ratione sui Vicariatus officii nullam super Archipresbyterum vel alios Presbyteros ipso antiquiores et digniores praeeminentiam in choro aut in publicis processionibus competere. Neque in congressibus, in quibus casuum conscientiae disputationes habentur. n. 2169 die 3. Julii 1662; n. 3078 ad 2 die 10. Feb. 1685. n. 278 die 17. Nov. 1640; n. 297. die 25. Feb. 1606; n. 301. die 4. Mart. 1606; n. 733. die 27. Mart. 1628. Neque posse ipsum Archiepiscopum quidquid contra S. C. decretum decernere. n. 1964. die 15. Feb. 1659.

Praecedentiam deberi Vic. for. in Congregationibus casuum conscientiae tamquam Vicario supra Archipresbyterum Dioecesis Firmanae et omnes alios Rectores, Curatos, Praepositos et alios eidem subjectos in dicto Vicariatu. n. 2926 die 31. Aug. 1680; n. 3123 die 31. Augusti 1686.

In Congregationibus tantum, quae singulis mensibus de mandato Episcopi fiunt, in quibus Vicarius foraneus tamquam Episcopi delegatus intervenire solet, praecedentia danda sit Vicario foraneo. Extra quas Congregationes nullam Vicario nec in Ecclesia nec extra praeeminentiam competere sed debere stare, sedere vel incedere in loco suae receptionis sive antianitatis cum aliis Canonicis seu Presbyteris, prout staret, sederet vel in-

deret, si Vicarius non esset. Num. 438 die 19. Mart. 1611; n. 1583 die 4. Maii 1647; n. 3272 die 26. Apr. 1692 cum appendice: Vicarium for. extra dictas Congregationes loco sibi alias juxta suam receptionem inter caeteros sacerdotes assignato contentum esse debere neque primam sedem in choro praesertim Ecclesiae Matricis neque pacem aut thurificationem ante alios neque praecedentiam in processionibus et funeralibus praetendere aut se in antiphonis et psalmis intonandis, divinis officiis ordinandis et aliis juribus, praeeminentis et praerogativis ad Archipresbyterum aliosque ipso digniores seu antiquiores presbyteros spectantibus, ex eo solum quod Vicarius for. existit, ingerere posse sed debere stare, sedere vel incedere in loco suae receptionis sive antianitatis cum aliis Canonicis seu Presbyteris, prout staret, sederet et incederet si Vicar. for. non esset. Et ita servandum esse non obstantibus quibuscumque. n. 3293 die 12. Sept. 1692; n. 3600 die 1. Oct. 1701.

Vicario nulla super digniores seu antiquiores Dignitates, Canonicos seu Presbyteros loci, ratione sui Vicariatus foranei, praecedentia competat. n. 443 die 25. Junii 1611; n. 798 die 10. Febr. 1629.

Vicariis foraneis ratione vicariatus hujusmodi in choro, sessionibus, processionibus aliisque ecclesiasticis functionibus nullam super alios antiquiores seu digniores loci ipsius Presbyteros, Dignitates vel Canonicos competere praecedentiam. n. 567 die 23. Mart. 1619; n. 843 ad 2. die 22. Decembris 1629; n. 2832 die 10. Julii 1677; n. 3078 ad 1. die 10. Februarii 1685.

Vicarium foraneum posse intervenire in Congregationibus capitularibus

et habere vocem in omnibus actibus capitularibus, dummodo sedeat in suo loco uti unus de Capitulo (Colleg.) n. 843 ad 1. die 22. Dec. 1629.

Vicario foraneo nullam competere praeeminentiam nec ullum jus ecclesiasticas functiones obeundi ratione vicariatus. n. 1939 die 7. Dec. 1658.

Vicariis foraneis non competere praecedentiam adversus parochos. n. 2219 die 16. Junii 1663.

Nullam competere praecedentiam et praeeminentiam Vic. for. supra parochum Aidonis et alios presbyteros in omnibus functionibus ecclesiasticis tam in Ecclesia quam extra faciendis, non obstante contraria consuetudine adducta etiam immemorabili. n. 2236 die 4. Aug. 1663.

Praedicta decreta habere locum tam in actibus sacerdotalibus quam in jurisdictionalibus, et in quibus assistunt uti Vicarii. n. 2323 die 20. Junii 1665.

Deberi Vicario for. Collegiatae Novariensis in Congregationibus casuum conscientiae praecedentiam supra omnes Congregatos et Canonico Curato ejusdem Collegiatae juxta antianitatem suae curae ad formam statuti. num. 3778 ad 2. die 10. Dec. 1707.

Vd.: *Parochus*; *Processio* (clerus saecul.)

### Papien.

S. Rituum Congregatio ad relationem Emi et Rmi D. Cardinalis Casanate, instante Hieronymo Rolandi Rectore loci de Ottobiano Dioecesis Papien., declaravit praecedentiam deberi Vicario foraneo in Congregationibus casuum conscientiae tamquam Vicario supra omnes Rectores, Curatos, Praepositos et alios eidem subjectos in